

non post multos dies in festo ascensionis Domini inter missarum sollempnia in extasim venisset et super hac re Dominum deprecaretur, angelus Domini transtulit eam et collocavit ei sedem preclarissimam inestimabiliter ornatam. Dixitque ad eam angelus Domini: 'Hec est sedes quam pro meritis suis magister tuus promeruit et cito mercedem hanc pro suis laboribus recipiet'. Alteram quoque sedem prope illam non tam splendidam ostendit ei, de qua dixit: 'Hec est sedes fratris tui, quam promerebitur a Domino, et dicito ei, quia quo plus laboraverit, eo splendidius eam possidebit'. Non post longum tempus abbas ab hac vita decessit, et omni consensu Domino volente ipse in locum eius successit. Sed hunc honoris apicem magis proponere¹ quam pro aliquo temporalis vite commodo suscepit, quippe qui maioris cuiusdam ecclesie dignitatem, ad cuius curam ab archiepiscopo Coloniense et episcopo Traiectense accersiebatur, refutavit. Ipsius namque iam dicte ecclesie in Traiectensi diocesi constitute priores eum sibi in patrem spiritualem elegerant. Sed ipse talem honorem pro Domino respuens, paupertatem, in qua fuerat conversatus, magis amplectabatur. Suscepto itaque regimine Sconaugiensis cenobii cuncta provide et prudenter secundum datam sibi a Domino gratiam disponebat, ita ut nichil eorum que intrinsecus agenda erant circa religionem et cultum Dei negligeret, et nichilominus exteriora non tantum provide conservaret, sed etiam ad augmentum extenderet. Ab his igitur etiam, qui foris erant, diligi quam plurimum et honorari meruit, quoniam in sacrarum scripturarum scientia eum pollere videbant et quod hanc moribus et vite sanctitate adornaret. Accidit itaque frequenter, ut ad negocia ecclesiastica, ubi de sacris scripturis erat conferendum, invitaretur. Unde factum est, ut vice quadam Magonciam venire rogaretur propter examinandum quosdam, qui de Katarorum heresi erant. Cum enim Pinguam obsessa quedam a demone femina adducta fuisset, ut ibi a Domino curaretur per preces domine Hildegardis apud Sanctum Rupertum, demon non sua, sed Domini voluntate ductus Kataros quosdam numero circiter quadraginta Magoncie habitantes prodidit, et ubi habitarent et ubi mortuos suos sepelissent, occulte edixit. Cum igitur indicia omnia, que predixerat, vera fuissent inventa, et illi de fide sua interrogarentur, tam caute tergiversando responderunt, ut hereticos eos esse deprehendi non posset, quo usque idem Ekebertus abbas advocatus ad subterfugia consueta eos declinare non passus, errorem eorum et heresim manifestavit. Multa etenim de secta eorum noverat, quoniam, dum adhuc Bunne maneret, quidam de hac heresi familiares se ei fecerant, sperantes in

1) Wohl zu lesen 'pro onere' oder 'pro pondere'.